DE

METRITIDE CHRONICA EIUSQUE EXITU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS HOFMEIER

SAXO.

OPPONENTIBUS:

C. ZURBORN, med. et chir. Dr., med. pract.

A. WESTHOFF, med. et chir. Dd.

F. ANSTENSEN, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0069

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

USQUE AD

CINERES COLENDO

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

AETIOLOGIA.

Sicuti evolutio systematis sexualis muliebris et prima menstruationis apparitio maiore uteri sensibilitate, mox toto cum nervorum systemate communicata patefit; sicuti postea in utero, propter sanguinem pari proportione adfluentem, maior turgor vitalis et voluminis auctio efficitur, donec hicce status congestivus sanguinis profusione in lucem fertur: sic quoque cumulata vel dissona vita sensibilis, vitiose aucta turgescentia et nimia sanguinis accumulatio in parenchymate uteri vasculoso, certe primus morbi huius organi gradus esse nobis videtur. Sed quomodo integer uterus cum certa periodicitate vice versa passivitate et activitate functionum coniunctus esse solet, sic quoque haud raro fit, ut haec dissonantia seu morbus uteri de solita sua lege non decedentis et aegrotam et medicum fallat. Per multos annos saepe illa germina morbi vitam degunt latentem, secretoque luxuriantia non manifeste apparent, et interdum tantummodo aucta vita sexuali, ut menstruatione et graviditate, existentiae suae levia nobis signa proferunt. Hanc haesitationem sphaerae sexualis, huncce statum, quo morbus adhuc in dynamices sphaera versatur, quo morbi productum nondum existit, morbi statum, qui per bre-

vius longiusve tempus adesse potest, at certe ante quamque pseudorganisationem uteri existit, sive sit cysta, sive fibroides, sive osteoides, sive tuberculosis, sive cancer, qui aut manifestior aut obscurior apparet, interdum vel plane negligitur, cuius quidem cognitio, quod mihi postea demonstrandum proposui, summi momenti est: hunc statum, inquam, metritidem chronicam, hysteriam uterinam chronicam nominamus.

Nunc vero morbi causas tractemus. Quo maior est actio vitalis, quo magis ipse normalis status uteri secundum varias periodos vitae variat, quo plures sunt conditiones, quae illum cum toto organismo et multis singulis eius partibus coniungunt, eo numerosiores sunt res, quibus uterus in morbum incidere potest, eo plures causae occasionales, quae vel directe vel indirecte momenta nocentia fieri possunt. Situ ipso suo et in pelvi inter rectum ac vesicam urinariam quasi pendens uterus multis periculis exponitur. Separatis autem vehementibus corporis commotionibus, quae facile fiunt causae occasionales, uterus quoque cum rebus externis per apertum canalem iunctus est, qua via noxiae dynamicae, chemicae, mechanicae varii generis in eum influunt, ita ut facili modo irritationes, congestiones, inflammationes, laesiones, intoxicationes fieri possint. Inter huiusmodi causas laedentes numerandae sunt illae res nocentes, quibus uterus onania, masturbatione, coitu rudi modo perfecto, stupro violento, immoderatis et ineptis medici manipulationibus, incaute immissis pessariis etc. expositus est; denique abusus ollarum carbonariarum, iniectiones excitantes, balnea sedentaria, ascarides usque ad uterum penetrantes et contagia syphilitica directe in eum influentia, congestiones continuas efficere possunt. At

vero ipsis suis functionibus uterus magno noxarum numero expositus est; nam crebro repetitae immodicae irritationes sphaerae sexualis, quae partim directe in externa organa sexualia agunt, ut masturbationes, intemperantia in coitu, vestimenta haud apta, desmata, equitare, vehi, saltare, partim indirecte irritata, squallida phantasia, e. q. lectione lubrica et conversatione, in numero potentiarum nocentium habendae sunt. Huc pertinent omnes inhibitiones evolutionis, illa innumerabilis multitudo abnormitatum graviditatis, partus et puerperii. Pariter anomaliae menstruationis, dysmenorrhoeae, amenorrhoeae, menostasiae, haud dubie maximam exhibent vim in evolvendum uteri morbum. Cum uterus pubertatis tempore ea vitae activitate affectus sit, quae ad evolutionem activitatis reactionalis est necessaria, haud mirum est, quod hac periodo plurimi uteri morbi inveniuntur, quamquam tempus ante evolutionem et post involutionem, praecipue anni climacterici, quibus lubentissime germina in utero adhuc latentia in plenum morbum erumpere solent, nequaquam uteri aegrotationem excludunt. Eundem, cum sit organum secretionis sanguinis, non solum omnibus turbationibus secretionis, sed etiam omnibus forsitan in hoc sanguine insitis qualitatibus vitiosis laborare necesse est. Nullam videbimus irritationem systematis sanguinis, nec plethoram, nec congestionem, nec inflammationem, nec vitium cordis etc. sine influxu et reactione in uterum; immo natura ipsa utero utitur, ut sit organum catharticum et salvans reliqui organismi; et dyscrasias, cachexias, irritationes in reproductione, tuberculosin malumque syphiliticum causas frequentissimas morborum organicorum uteri fieri videmus. Fons abundans morborum uteri ex sym-

pathia eius in totum nervorum systema profluit; non raro irritationes et aegrotationes systematis nervorum, exaltantes et deprimentes affectus corporis et animi in uterum reagunt, ita ut et nimia excitatione et debilitatione vis vitalis uteri morbos dynamicos et organicos provocent. Denique quod attinet ad translationem morborum uteri a parentibus, experientia nos affatim docet, esse auctam dispositionem, quae tantum levioribus vel externis vel internis momentis excitantibus egeat, ut ex latibulo suo prodeat morbus.

SYMPTOMATA.

Metritis chronica haud facile initio cognoscitur, et cognitio morbi multo difficilior fit, quia aegrotae et propter pudorem falsum et symptomatum levitatem auxilium quaerere nolunt, aut medico malum sic non describunt, quomodo revera sentitur. Sin acutam sequitur inflammationem uteri, symptomata sensim sensimque diminuuntur, febris fit levis, sed corporis constitutio paullulo vel minime melior evadit; inflammatione acuta nec resolutione, nec suppuratione, gangraena aut adhaesionibus finita, menstruatio desinit vel anomalia intrat, dolores vehementes minuuntur et tantum sensus quidam gravitatis in pelvi ab aegrota percipitur.

In inflammatione uteri chronica primitiva sensus ponderis cuiusdam in regione hypogastrica praevalet, inde ab intestino recto usque ad vesicam urinariam extensus, et doloribus obtusis trahentibus in regione ossis sacri, lumborum, in genitalibus externis et femoribus coniunctus: qui dolores usque ad regiones inguinales, pedes et sursum per dorsum ad cervicem et saepe usque ad caput extenduntur. Menstruatio fit irregu-

laris, saepe omnino supprimitur; interdum largae oriuntur metrorrhagiae brevibus interiectis intervallis; vulgo collum uteri, saepe tota haec pars paullulum tumet et parum modo dolet. Morbus lente tantum progreditur et longum saepe tempus, hebdomades, menses vel etiam anni praetereunt, antequam clarius se manifestat. Aegrota semper magis afficitur, dolores, qui initio obtusi fuere et interdum omnino evanuere, continui fiunt, augentur sensim sensimque et percipiuntur inprimis in regione lumbali et hypogastrica. Menstruatione omnino suppressa dolores vulgo multo atrociores sunt, leniores, si ista irregularis tantum existit. Cum haemorrhagiae subinde oboriuntur, dolores in intervallis, in quibus nullus effunditur sanguis, longe sunt acerbiores; longo post haemorrhagiam tempore praeterito ultimis quatuordecim mensis diebus aegrotae multo magis laborant, quam tempore proximam sanguinis effusionem sequente. Saepe dolor intermittit, relinquit nonnunquam adeo systema uterinum et alium corporis locum afficit. Murat casum narrat, in quo dolor interdum omnino systema uterinum reliquit et laryngem sedem suam eligit. Paullatim uterus tumet, gravitatis in pelvi sensus igitur crescit, dolores trahentes augentur et fortissimi saepe per uteri ligamenta sentiuntur, quia tumore uteri partium locus normalis mutatur et saepe ligamenta et appendices uteri, tubae Fallopianae et ovaria in inflammationis partem veniunt. Interdum intumescente utero abdomen adeo tumet; aliquando uterus tamquam tumor durus circumscriptus supra symphysin ossium pubis sentitur, cuius regionis compressio dolores excitat graves. Abdomen vulgo tensum animadvertitur, meatus et quaevis corporis motio gravior molesta et dolorifica est; feminae

incerte ambulant, femoribus divaricatis. Febris plerumque levis, continens existit, menstruationis loco sive effluxus mucosus sanguineus e vagina consequitur, sive menstruatione haud suppressa aut eius loco subinde haemorrhagiis ortis, effluxus mucosus in intervallis. Alvi dejectio, urinae excretio molestae et dolorificae inveniuntur et existit materias illas ejiciendi studium irritum dolorificum. Urina turbida est, parva effluit copia et griseum emittit sedimentum; per vaginam portio vaginalis, nisi libera est inflammatione, calida sentitur, dura tumida, paullulum dolens. Cum metritis chronica aliquantum temporis perduravit et fortior fit, alia existunt symptomata sympathica, anomaliae in organorum gastricorum functione, nausea, vomitus, ructus, singultus, ciborum appetitus deficiens; caput saepe obnubilatur; aegrota ad vertiginem et animi deliquia prona est. In atroci inflammationis gradu feminae continua laborant anxietate, organa respirationis vario modo afficiuntur. Nonnullis in casibus aegrota subinde sentit dolores pungentes in mammis, quae vulgo laxae dependent. Affectio universalis crescit, attamen saepissime quoque evenit, ut omnia symptomata tam levia sint, ut fere nullus existat morbus universalis, metritis chronica omnino ignoretur. Sedes inflammationis in praxi parvi momenti est, attamen symptomata morbi pro varia sede paullulum differunt.

Si uteri collum inflammatum est, vagina laxa invenitur, abdomen tumet, paullulum dolet, orificium uteri externum vulgo nonnihil apertum, portio vaginalis uteri dura, tumida, dolorifica, calidior, quam par est reperitur. In inflammatione fundi uteri tumor perspicitur rotundus, circumscriptus, dolorificus supra symphysin ossium pubis, organorum gastricorum

affectiones maiores sunt, portio vaginalis explorante digito non dolet. Affecto uteri pariete posteriore dolores inprimis in regione ossis sacri percipiuntur, deficiunt plus minusve in ceteris uteri partibus, aegrota percipit compressionem intestini recti, alvus moleste deiicitur, aegrota sensum habet transitus faecum impediti, exploratione per anum uterus tumidus, dolorificus, inflammatus sentitur. Inflammatio pariete anteriore uteri molestiae et dolores in excretione urinae percipiuntur, copia urinae, quae rubra aut flava est, parva effluit. Inflammato altero solo uteri latere dolores in illo animadvertuntur trahentes, qui usque ad femur et regionem inguinalem extenduntur.

EXITUS.

Inflammatio uteri chronica raro in peritonaeum transit, quod si nihilominus accidit, symptomata peritonitidis et metritidis coniunguntur.

Rarissime metritis chronica resolvitur, at saepissime resoluta et sanata habetur, dum modo lenior et occulta existit. Interdum fortioribus nonnullis exacerbationibus factis in suppurationem transit, quo facto dolor decrescit; sed eo loco, quo dolor erat vehementissimus, exoritur levis vellicatio, pulsatio, cui antecedit horripilatio. Abdomen non ita tensum est; quum antea secreta dolorifica abirent, nunc melius deponuntur. Tempore vespertino calor exacerbescit, pulsus fit frequentissimus, aegrota est magnopere perturbata, post multum demum temporis somno capitur; tempore matutino status est melior, inter diem aegrota satis bene se habet, cibum et potum appetit et sperat fore, ut mox ex morbo evadat. Ad vesperam

autem dolores pulsantes et horripilatio et febris redeunt. Jam quodam loco uteri tumorem conspicere licet, qui modo vesicam urinariam, modo intestinum rectum coërcet, et in regione vel pubica, vel hypochondriaca, vel vaginali intumescentiam provocat, quam plerumque tantum ex oedemate circumscripto consensuali tegumentorum externorum suspicari licet. Pus nunc viam sibi munit, ita ut abscessus proxima via in cavum peritonaeale exitu cum lethali, aut quam rarissime in tegumenta externa, aut in vesicam, aut in intestinum rectum, denique, qui est casus felicissimus, in cavum uterinum, aut in vaginam aperiatur et ex ea effundatur. At infiltratio suppurativa totius telae uterinae per longum temporis spatium perseverare, magnopere structurae formam pervertere et phthisi uterina cum febri hectica mortem adducere potest. Destructiones post obitum repertae plerumque non uterum solum amplectuntur, sed etiam communicationes fistulosae cum utero, vesica, intestino recto, et degenerationes tubarum Fallopii ovariorumque deteguntur.

Exitus metritidis chronicae in gangraenam singula quoque exempla observata sunt. Dolor, postquam ad acumen pervenit, subito post horripilationem vehementem evanescit, abdomen existit molle, paullum sensitivum, pulsus fit parvus, debilis, valde acceleratus, innumerabilis, irregularis, denique intermittens et iusto rarior, cutis est fervida, postea algida, obducta sudore tenace, gingiva et lingua sunt siccae et contectae nigro pigmento, oculi subsidentes cum saltu anxio et moesto, facies hippocratica, anima foetet, est fervida, postea calida, respiratio suppressa cum diductione alarum narium, respiratio colli et abdominis, plumbea membrorum gravitas,

magna inquies et iactatio, sitis furens neque exstinguenda, deliria mussitantia, ex vagina effunditur ichor foetens et corrosivus, status soporosus, carpologia, subsultus tendinum, involuntarius et inscius secessus excrementorum et sanguinis dissoluti. Gangraena exorta aegrota vitam vix ultra horas viginti quatuor protrahit.

In plurimis casibus, ut supra iam memoravi, maxima pars morborum organicorum uteri initium capit ex metritide chronica, et si fieri posset, ut inflammatio chronica ubique praematuro tempore cognosceretur, rarius, credo, illa copia morborum uterinorum oppugnanda esset.

Primum quidem initium mutationum morbosarum, quae perfectae metamorphosi telae antecedunt, saepe est simplex congestio activa et passiva, quod simile est processui physiologico menstruationis, sed rarius sine auxilio inflammationis ad desorganisationem perduceret. Quomodo hi status sunt coniuncti, eodem transitus metritidis chronicae ad varias sequelas et exitus, ab hypertrophia benigna et indurationibus benignis ad diversissimas degenerationes animadverti non possunt.

Si feminae habitu leucophlegmatico, cachectico, constitutione lymphatico-nervosa instructae per longum tempus metritide chronica laborarunt, atque hanc ob causam aut perfecte aut imperfecte uteri orificium conclusum est vel strictura vera et atresia, vel obstructione mucosa, vel coagulo sanguinis: cavitas uteri in orificio constricta secreto in eo coarctato et aucto dilatatur atque hoc modo tela mucosa uteri in tenuem membranam serosam expanditur, quae serosum, albuminosum synoviae similem liquorem secernit, cuius compositio vario

exitu inflammationis mutata et imprimis exsudatione haemorrhagica colorem nigrum ferruginosum etc. accipit. — Formae variae huius hydropis esse possunt: hydrometra ascitica, in qua inclusa est aqua in cavitate uteri; hydrometra oedematosa s. cellulosa, in qua aqua est inter parietes uteri; hydrometra cystica, in qua aqua in minoribus vel maioribus et affixis et suspensis vesicis est contenta.

Ex primis symptomatibus cum graviditate eam permutare propensi sumus. Haec sunt symptomata comitantia: menses plerumque desunt, pro quibus fluor albus adest, oritur tumor abdominis ascendens ab inferiore parte ad superiorem, qui umbilicum denique assequitur et super totam alvum expanditur. Hic tumor non est durus, sed elasticus tactu et fluctuat in hydrometra ascitica. Interdum hanc fluctuationem per fundum vaginae explorantes orificium occlusum, portionem vaginalem tenuatam, segmentum inferius valde expansum et tympaniticum animadvertimus. Aegrota in media alvo onus et frigus proprium et uterum quasi prolabentem sentit.

In decursu posteriore vera mali natura clarior apparet, status universalis fit peior, exoriuntur intumescentiae oedematosae pedum et externorum genitalium, menses, etsi initio regulares sunt, a regula aberrant cessantque, aut interdum alternant cum aquae profluxu ex utero, qui cum contractione uteri dolorifica interdum critico modo morbum amovet, saepius vero periodice rediens auxilio naturae proprio tantum diminuit. His excretionibus, imprimis subito ortis non raro haemorrhagiae perniciosae accedunt, animi deliquia, collapsus, praesertim cum aqua collecta multa est, ut iis in casibus, quibus uterus diametrum unius pedis et dimidii verticalem ha-

bebat et enormem aquae copiam usque ad quarta sexaginta continebat. Hic etiam interdum factum est, ut aqua formatione abscessus in externo tegumento abdominis excerneretur. Omnino autem in hydrometra vita non est in periculo, et tantum, si per longum tempus durat et si morbus fit recidivus, sensim sensimque magna praecordiorum anxietas apud aegrotas, vomitus, indigestiones, obstructio alvi, dolores colici, dysuria et ischuria, febris hectica cum macie enormi et denique mors intrat. Hic morbus, si inter periodum facultatis generandi oritur, interit interdum, simulac haec evanuit. Geoffroy casum narrat, quo femina per annos sex hoc malo cum temperaria depletione aquae erat affecta. In fine anni quadragesimi secundi morbus evanuit plane et quidem sine artis auxilio. — In intumescentia, hypertrophia uteri, (engorgement de la matrice) vera stagnatio sanguinis necessaria est, plerumque initio in partes singulares uteri determinata, et cum coagulatione humorum intra canales suos et cum secretione morbosa materiae formativae in sic dilatata interstitia telae parenchymatosae.

Ex eo apparet, quomodo ad localem expansionem et ad absolutam quantitatem, ad consistentiam vel maioris vel minoris mollitiei et duritiei, ad organisationem, ad qualitatem biochemicam stagnantium et depositarum rerum, et ad naturam et intensitatem in iis agentium et per eas recens excitatorum morbosorum vitae actorum, totidem varietates gradus et modalitatis hypertrophiae existere possint; et quomodo ad cognitionem rei perfectam et ad simplicem stagnationem declaratio indurationum ortarum benignarum et malignarum, degenerationum et pseudorganisationum se adiungat. — Inter benignas

degenerationes induratio uteri numeratur, quae tantum gradatim per suam maiorem usque ad consistentiam cartilagineae et osseae telae progredientem densitatem ab intumescentia eo differt, quod non semper cum aucto volumine, sed e contrario crebro cum atrophia et relativa minoritate uteri coniuncta est. Symptomata functionis impeditae et compressionis, quae intumescentiam designant, indurationi plerumque desunt, neutra est dolorosa. Induratio et partialis et totalis esse, etiam forma singulorum nodorum vel tuberum in parenchymate aut superficie externa apparere potest. Vel itaque induratio simplici hypertrophiae, vel tuberculosi, immo scirrhosi uteri se coniungit, simul cum benignissima ut videtur induratio se aperire et exulcerationem uteri gignere possit.

Summum gradum indurationis et quidem simplicis metamorphosis substantiae sine charactere malignitatis ossificatio uteri constituit, lithometra. Ossificatio vera ex depositione phosphoricarum vel aliarum ad calcariam pertinentium praecipitatarum partium in parenchymate apparet, aut in superficie uteri apud actate provectiores feminas et quidem iisdem conditionibus, quibus exempli gratia ossificatio tunicarum arteriarum oritur. Ossificatio plerumque nullas molestias provocat, nunquam est res therapiae, tantum in sectionibus mortuarum fortuito est inventa.

De origine lapidearum concretionum uteri, quae aut libere in eo sunt sitae, aut membranae mucosae uteri adhaerent, sententiae sunt diversae: alii ossificatos tumores fibrosos putant; alii formationem aequalem cum lapidibus fellis, renum et vesicae urinariae existimant; alii denique reliquias degeneratas praemature in utero mortuorum coque relictorum em-

bryonum. Exploratio alienorum extrinsecus in uterum illatorum corporum (e. g. lapidum cerasorum), nucleorum talium concretionum confirmat sententiam de ortu earum primario clarissime. Concretiones constant ex substantia animali gelatinosa cum kali, natro et natro muriatico, praecipue calcaria phosphorica diversae gravitatis et magnitudinis, et secundum formam, superficiem et magnitudinem interdum symptomata vehementissima excitationis et compressionis gignunt.

Interdum tactu digiti aut specillo praesentiam earum detegere contingit, ubi exploratio per anum adiuvat. — In utero etiam sic dicta lapidea concrementa et terrena deposita, osteosarcomata, osteosteatomata apparent et immensam gravitatem et magnitudinem assequuntur. Carus narrat exemplum, quo uterus erat pondere librarum quinque et dimidiae et horae duae erant necessariae ad lapideam duram materiem serra perfodiendam. Auctore Rokitansky talia tantum in solo fibroide et nunquam genuina apparent.

Ad creberrimas uteri degenerationes fibroidae pertinent, qui generaliter in pedunculatos et non pedunculatos dividuntur. Primi in cavo aut in superficie externa uteri inveniuntur, non pedunculati parietibus uteri inclusi. Si fibroidae in cavum uteri impendent et tantum pedunculo affixi sunt, polypi nominantur. Rokitansky distinguit fibroiden uterinum cum concentrico ordine strati fibrarum, excellentem densitate, resistentia, paupertate vasorum, exiguo volumine et forma sphaerica, involutum in parenchyma uteri, ita ut facile exsecari possit; tum fibroiden cum perturbata ex nucleis seu centris numerosis orta fibratione, forma rotunda cum superficie tuberosa et diversissimis gradibus densitatis, vascularitatis, magni-

tudinis et qualitatis, modo tensum, vasis pauperem, modo elasticum vel tactu mollem ex accumulata in interstitiis diversa, interdum etiam pilos continente tela cellulosa, qui se in singularem aut in plures cavitates extendere et diagnosim eo pervertere potest; denique polypum fibrosum, qui in fibratione radiata cum simplici vel ramificato trunco ex parenchymate intima anatomica ratione in uteri cavitatem increscit. Forma fibroidarum primum nominatorum plerumque rotunda est, volumen eorum variat a magnitudine grani cannabis, nucis ad caput viri et plus adeo.

Animadvertimus tumores uterinos, qui utero viginti, quadraginta, octoginta librarum pondus et graviditatis paene perfectae ambitum dederunt. Perraro augentur celeriter, plerumque tarde et pro statu vascularitatis turgescentia periodica utuntur. Rarissime nascuntur ex collo uteri et portione vaginali, semper paene ex corpore, plerumque ex fundo uteri. In illo tardissimo processu tumorum, qui saepe multo, postquam inflammatoriae affectiones uteri remotae videbantur, secreto succrescunt, quod initia huius morbi pauca symptomata pathognomonica praebent, non est, cur miremur. Interpellationes vitae uterinae fluxae levesque admittunt plerumque propiorem simplicemque explicationem, vel ab aegrota haud amplius respiciuntur, et organon ipsum consuescit paullatim parasitae in se radicanti et fungitur, quamvis haec inimica vis praevaleat, magna cum continuitate, ut plerumque perturbationes vitae vicinorum organorum uteri explorationem accuratam expetant. Paullatim tamen magna vis speudorganisationum in vegetationem, situm, formam uteri in lucem prodit. Tota textura fit hypertrophica pari modo atque in crescente gra-

viditatis mole, eoque plus, quo propior fibroides est membranae mucosae eamque in affectionem morbosam coniicit, quo vasculosior ille est et quo magis vitae actas activitati et productivitati uteri favet. Sympathicis et mechanicis irritationibus membranae mucosae gignunt hae speudorganisationes non solum chronicos uteri catarrhos et blennorrhoeas, sed etiam ruptis vasis haud exiguas haemorrhagias; quo modo interdum internae quoque haemorrhagiae in cavum peritonaeale secutae sunt. Conceptionis vis plerumque non diminuitur, quin etiam graviditati et partui leves speudorganisationes haud gravi impedimento sunt. Haud tamen raro accidit, ut abortus et vehementes metrorrhagias post partum concitent et mechanicum partus impedimentum fiant. Mutationes, quae ex fibroide pendent, situs formaeque uteri sola vi ponderis, ambitus formaeque eius efficiuntur. Difficilis fibroidarum diagnosis posita est partim in eorum inimica vi in partes vicinas et uterum ipsum, in indolentia eorum in leni et tamen plerumque ad altiores gradus, quam malignarum degenerationum ascendente incremento, in mutatione haud exigua status eorum interni; partim in exploratione alvi, vaginae (per digitum, specillum, speculum) et intestini recti, atque in observanda sympathia mammarum et omnino constitutionis ratione. Quod attinet medium fibroidarum numerum, Bayle secundum multas observationes contendit, inter centum feminas annum tricesimum quintum transgressas viginti hoc morbo affectas esse. Ante vicesimum annum non existunt, raro inter vicesimum et tricesimum; feminae lymphaticae constitutionis et temperamenti phlegmatici imprimis proclives sunt ad illos. —

Aliud est tertium genus fibroidarum, polypus fibrosus,

polypus uteri s. metropolypus s. columella s. cercosis; luxuriatur aut in pariete uteri, aut in cervice uteri, aut in externo orificio, et plerumque evolvitur tempore vel post tempus cessationis mensium. Polypus in cavo uteri se evolvens hoc extendit, dum augetur magis magisque, et omnes provocat casus omnino cum propagatione amplificationeque huius organi iunctos, atque primum sensum angoris, gravitatis, spasmi in pelvi sequuntur affectiones nervorum, nausea, vomitus aliaque symptomata spastica, urinae crebra et irrita desidendi cupiditas. Mox commovet etiam menstruationis anomalias, blennorrhoeas et haemorrhagias ex genitalibus. A graviditate differt potissimum, quod decursus multo longinquior est et abdomen nunquam sic extenditur, ut in graviditate. Ostio uterino progressa extensione uteri aperto, diligens exploratio per vaginam diagnosin fortasse dubiam removet. Si adolevit polypus, obtrudit se in apertum uteri os, ubi rotundum ac planum tuber sentire potes. Quo facto magis magisque se deiicit penetratque paullatim inter lumborum et pelvis dolores, inter tenesmum et ischuriam, aut subito post vehementem corporis motum, quo posteriori casu etiam inversio uteri fieri potest, per os uteri in vaginam, succrescit paullatim, movet copiosas blennorrhoeas egrediturque postremo rotundus, laevis tumor ex genitalibus externis. A prolapsu uteri polypus facile hoc differt, quod hic os uteri animadverti non potest; ab inversione uteri, quod superficies polypi exterior planior torpidiorque, contra versi uteri irritabilis et rubro sanguinis colore tincta est. — Tuberculosis uteri secundum Rokitansky primitiva tantum in membrana mucosa et tela cellulosa submucosa, in uteri parenchymate autem nonnisi secundaria existit. Tu-

berculosis excludit cancrum finiturque semper in cervice uteri. Ubi morbum nascentem observare licet, reperimus tubercula discreta, frequentia vel cumulatim disparsa in partibus mucosis et celluloso substrato. Plerumque videmus tuberculum in sectione iam emollitum, ita ut membrana uteri mucosa vel parvis vomicis contecta, vel iam in tuberculosam, diversa directione et altitudine fissam, casco-purulentam massam immutata sit, qua parenchyma infiltratum et cavitas uteri, imprimis clauso uteri orificio, repleta apparet.

Interdum contingit, ut exploratione duros nodos inter normalem, elasticam, mollem texturam inveniamus; praeterea animadversis pseudofunctionibus uterinis tantum absentia signorum organorum aliorum negative et constitutio, sicut praesertim tuberculorum in aliis partibus praesentia, positive aliquam lucem perdifficili diagnosi illius minus noti mali potest afferre. — Formidolosissima nec non rarissima degeneratio uteri est cancer, carcinoma uteri. Dum antehac fere omnes consentiebant, scirrhum fundamentum esse degenerationis carcinomatosae ex scirrho mollito, liquefacto, suppurato progredientis, et fungum medullarem alius generis degenerationem opponebant; recentiore tempore eandem rationem inter scirrhum et carcinoma in dubium vocamus. Rokitansky internoscit origine cancrum fibrosum et fungum medullarem. Cancer fibrosus constat ex pseudomassa sine confiniis distinctis in telam fibrosam portionis vaginalis imposita variae magnitudinis et formae, ex qua amplificatio, iniqua et aspera superficies ac resistentia organi dependet. Textura apparet subalbida in diversas directiones se secans fibratio, cuius in parvis interstitiis substantia lurida et subcana sita est. Fungus medullaris

(fungus haematodes, Encephaloid) contra initio apparet infiltratio texturae portionis vaginalis cum substantia albida, encephaloidea, in qua tela fibrarum normalis evanescit, habitus externus autem organi tales subit transmutationes, quales genus primum. Quorum fungorum caput brachionus (das Blumenkohlgewächs) habendus est. Haec formatio tam rara quam insignis constat in tumore pedunculato similique brassicae botryctidis, forma et textura placentae laxatae non dissimili, qui ex ostio uterino luxuriatur saepeque multum extenditur in vaginam. Hic tumor non tam indolescit quam periculosus fit haemorrhagiis illis profusis ac foetidis, quibuscum saepe fragmenta ex tumore soluta ac putrida coniunguntur. Mulieres tristi illo malo laborantes in intima pelvi dolorem patiuntur levem, interdum remittentem, haud continuum, qui coitu, menstruatione, minctione et alvi exoneratione, abdominis contrectatione, exploratione externa internaque, mutata denique coeli temperie resuscitatur et augetur. Praeterea sensus adest corporis alieni in altitudinem pelvis delapsi. Urinae secretio turbata, et haud raro hac periodo invenias vesicae et intestini recti perturbationes, quae dysuria et tenesmo manifestantur, dum urina pituitosa cum dolore emittitur. Saepe etiam mammae fugaci punctione dolent, simulque duritie e amplitudine augentur. Alvus modo obstructa, modo laxa, menstruatio hactenus rite fluens, nunc irregularis fluoreque albo interrupta est. Coitus cupiditas antea valde viva sensim sensimque diminuta, nec levi ille caret dolore. Valetudo in universum parum debilitata, pulsus autem parvus, durus, celer, quamquam febris perfecta nondum exstat. Saepe etiam symptomata animadvertuntur modo praecedentia, modo accedentia. Exploratio

adhuc parum iuvat; abdomen inflatum et plenitudinis quidam sensus aegrotam angit. Uterum paullulum descendisse videmus, portionem vaginalem durisculam et dilatatam; vagina et genitalia externa modo turgida et frigida, quemadmodum in puerpera, nobis tangentibus sese praebent, modo praeter consuetudinem laxiora. Denique decolor quaedam et albicans pituita haeret in vaginae parietibus.

Morbus ubi progreditur, cuncta illa symptomata amplificata et aucta apparent. Dolores adsunt continui, urentes et pungentes; sensus gravitatis in recessu pelvis increscit. Ischuria et incontinentia urinae sese invicem sequi solent, menses magis quam primo stadio a normali statu aberrantes, plus minusve copiosi, aut prorsus suppressi, effluentes symptomatum numerum augent et clariorem reddunt. Quamvis in universum negari nequeat, feminas, quae excesserint aetatem criticam, minus propensas esse ad nimium sanguinis profluvium, tamen egregie falluntur, qui eas haemorrhagiis nullo modo affici posse contendant. Qualitas etiam sanguinis effluentis longe alia ostenditur, quam priore stadio, quippe qui sit aquosus, mucosus, foetidus. Fluor albus in morbi principio odoris plane expers, nunc male olet. Dolores, qui in pelvi erecto corporis statu percipiuntur aeque ac in motu, vix sunt ferendi. Etsi autem plerumque hoc quidem tempore mulieres, doloris evitandi causa, coitu abstineant necesse est, nihilominus tamen nonnullas hoc stadio non modo concepisse, sed etiam peperisse experientia docet. Sensim sensimque totus fere corporis habitus mutatur, macescit, faciei color pallidus et cachecticus fit, admixtis passim coeruleis maculis, imprimis in feminis propter candorem et teneritatem cutis

insignibus. Musculi flaccescunt, integumentorum tonus minuitur, prosternuntur vires, affectus hysterici et dolores nervi ischiadici ex media pelvi in femur unum alterumve transeunt. Quo fit, ut modo sedere nequeant, modo claudicent, aut paralysi laborent. Praeterea etiam venae in femore varicosae cernuntur, nutritio laesa; cephalalgia, malus sapor, vomitus occurrunt, somnus inquietus et praecipue doloribus ad vesperam exacerbescentibus et febri turbatur. Functiones systematis uropoëtici et intestinorum magis magisque vexantur, aegrota lectum relinquere plerumque nequit, sanies foetida et mordax, modo nigra et crassa, modo aquosa et lurida e vagina effluit et vulvae labia cruraque erodit. Exploratione interna portio vaginalis reperitur tumida, brevior, intensa, tuberosa; labia orificii inaequalia, rimosa et dilacerata. Investigatio intestini recti fundum uteri nobis ostendit firmum, amplificatum et dolentem. Rectum ipsum haud raro angustius, tumens varicosisque vasis obtectum invenitur. Morbus iam ingreditur stadium tertium purulentum et cachecticum, quod quidem in praxi non satis ab secundo separari potest. Dolores diri neque remittentes excruciant aegrotam. Ichoris profluvium odorem habet, qui ferri vix potest. Haemorrhagiae continuae, saepenumero vehementissimae largam copiam sanguinis nigri, coagulati et cum pituita mixti abducunt. Glandulae inguinales et submaxillares, mammaeque tument indurantur-que. Salivatio aphthaeque plurimae in ore et trachea nascuntur, glandulae Meibomianae indurantur et rubescunt, oedema existit pedum. Accedunt etiam febris hectica cum sudore, diarrhoea colliquativa, vomitus cum cardialgia et cuiusvis cibi fastidio, quae quidem omnia ad vesperam aucta

maiores dolores movent. Tum vero pulsus modo plenus et durus, modo ita suppressus et debilis, ut vix sentiri queat. Singularis quaedam facies hippocratica sequitur et haemorrhagia, quod restat virium, plane conficitur. In ichore profluente haud raro conspiciuntur partes maiores minoresve fungosae, putridae. ulceratione a substantia uterina solutae. Exulceratio nunc vicina quoque afficit organa, vesicam, rectum, ovaria et tubas Fallopianas. Quo quidem saepe fit, ut vesica rectoque, cloacae instar, inter se coniunctis, urina una cum stercore per vaginam excernatur. Jam vero ne maxima quidem diligentia effici potest, ut decubitum gangraenosum impediamus, et mors admodum optabilis marasmo, haemorrhagia, convulsionibus, diris tormentis finem imponit. Quo in stadio si partes affectas exploraveris, id quod sine dolore fieri nequit, portio vaginalis deprehenditur aut plane aut maximam partem dilacerata, fungosa, saepe etiam mollis et elastica; superior vaginae pars excrescentiis fungosis scatet, quae vel levissime tactae magnam sanguinis vim emittunt.

PROGNOSIS.

Prognosis metritidis chronicae varia est in variis stadiis. Quare summi est momenti, ut cognoscamus, quonam in stadio morbus versetur. Sed hoc valde difficile praecipue cum status illi, de quibus supra locuti sumus, in variis uteri partibus alter iuxta alterum eodem tempore inveniantur. Respiciamus necesse est decursum, tempus, per quod morbus adfuerit, eius reactionem in constitutionem. Inflammatio uteri chronica quamquam non semper cum febri ingreditur, tamen in toto organismo reactionem quandam ostentat, sine qua oriri non

potest, quae reactionis vis menstruorum tempore usque ad statum febrilem augetur. Etsi autem inflammatio pseudocrisibus, exsudationibus, intumescentia, induratione quasi quiescit, tamen in secreto progredi non desinit, ita ut postea aucta vi redeat et totam constitutionem in consensum tractam opprimat. Ex symptomatis localibus non magis perspicuum fit, in quonam stadio morbus versetur, cum dolores obtusi, tumores, anomaliae menstruationis et morbi consensuales aliorum organorum etiam in illis uteri morbis secundariis inveniantur, nec ipsum speculum certum signum diagnosticum praebeat. Unde sequitur, prognosin metritidis chronicae per se malam non esse, quod spectat ad vitam, inflammationem vero plerumque causam vitiorum organicorum eo magis esse timendam, quo diutius exstiterit et quo minus constitutio morbum sustinere videatur.

Prognosis pyometrae valde dubia est, nec nisi pure per vaginam effluente spem convalescentiae permittit, quamquam etiam hoc in casu certo praedici non potest, fonte suppurationis suppresso phthisin uterinam prohibitum iri. — Gangraena orta auxilium ferri nequit, mors iam intrat viginti quatuor horis post. Hydrometrae prognosis plerumque mala nominari non potest, cum morbo ipso organismus non deleatur et natura una cum arte multum valeat ad sanandam aegrotam. Sed quamvis ars hydropsiam ipsam sanare queat, tamen causas hydropsiae non semper removere licet, quae, si in vitiis ipsius uteri constant, maioris sunt ponderis quam hydrometra sola. Perquam malam prognosin dat forma oedematosa, cum aquosa parenchymatis infiltratio permanentem metamorphosin magis adiuvet quam solam extensionem. Gradus et spatium

morbi, gradus metamorphoseos substantiae praesertim momenta prognostica sunt habenda. — Quod attinet prognosin indurationis uteri, hic quoque dissolutio interdum contingit; sed curationes eo spectantes semper maxima cautela incipiendae sunt, cum nunquam aegrota adhuc viva certo constituere possimus, num induratio praesens naturam habeat benignam, annon germina processus destructivi secum ferat, qui curatione illa artificiali maturatus sit.

Prognosis pseudoproductionum magnitudinem, sedem, celeritatem incrementi et omnino statum vitalem sequitur. Si illa quidem pseudoplasmata in universum bonam naturam, parvum gradum vitalitatis habent, lente progrediuntur longumque per tempus, imo per totam vitam sine gravibus dubiisque symptomatibus existere possunt, attamen haec ratio haudquaquam facultatem excludit, magnas dubiasque transmutationes subeundi. Frequentissima huiusmodi transmutatio est, ut supra iam diximus, ossificatio fibroidae, quae, cum occisioni parasitae aequiparetur, signum faustum duci potest. Interdum congestiones adeoque inflammationes cum suppuratione pseudoproductionum inveniuntur. Nonnunquam hoc modo fit curatio naturae, ut secundum illam pseudoproductum solvatur et ex utero excernatur; in quo quidem notandum est, illam inflammationem et suppurationem in tumoribus magnis consumptione virium, aut communicatione inflammationis cum vicinis organis plerumque prius letalem fieri, quam natura aliena amovere possit. — Tuberculosis uteri, licet valde vegetationem et functionem uteri turbet, ipsa vitae non tam inimica videtur esse, quam e. g. tuberculosis pulmonum aut aliae malignae degenerationes uteri. Imo natura curationem solutione et

excretione tuberculorum efficit, quae parva et pauca symptomata gravia non ostendunt.

Prognosis cancri uteri quaque ratione pessima nominanda est. Rara illa exempla curationum faustarum nondum satis constant, ut in casu quodam ne minimam quidem spem in curatione prospera possimus ponere. Sin prognosin huius mali, respicientes a chirurgia recentiore oblata auxilia, utique malam non iudicamus, tantummodo de periculo vel minore vel maiore agitur, et haudquaquam nil adest periculi.

Prognosin autem relative bonam dicere licet, si morbus in primo stadio, in primo gradu evolutionis versatur, si nullam aut exiguam reactionem in constitutionem exercet, si parvam extensionem et opportunam, ostio uterino vicinam habet sedem. Quo vividiores processus vitales in universum, quo minores aetate sunt aegrotae, eo celerior evolutio cancri timenda est, vis vitalis etiam potentiis inimicis eo diutius et fortius repugnabit; perniciosissimi sunt anni climacterici. Constitutio maximi ponderis est. Ex toto valetudinis statu et ex rebus vitae externis in universum dependet, num et quam diu natura malum locale sustineat; num et quae dyscrasiae adsint; num aegrota opportuno loco posita sit, ut omnes ad amovendum aut elevandum malum rationes respectu diaetae, regiminis, medicamentorum etc. adhiberi possint; num denique hae conditiones, constitutio et status pseudoplasmatis operationi fortasse unicae medelae favere videantur.

CURA.

Si metritis chronica recens, aut ante breve tempus ex remissione metritidis acutae, aut ex studio liberationis conge-

stionum diutinarum exorta est, curandi methodum antiphlogisticam moderatam adhibere nos oportet, sanguinis depletiones topicas interdum repetitas, fomentationes emollientes e cicuta, hyoscyamo, aliis, frictiones abdominis cum linimento volatili, nonnunquam irritamenta cutis, vesicatoria vel sinapismos etc. in abdomine, femoribus, tum etiam balnea et iniectiones in vaginam infusi florum chamomillae, sambuci, malvae, herbae cicutae etc. Haec curatio ceterum non perpetuo, sed potius in intervallis instituenda et tum quoque difficile est, feminas non admodum aegrotas se sentientes neque lubenter negotiis domesticis abstinentes impellere ad medicationes, quae statim ne fructum quidem afferre videntur. Utamur igitur quaque parva et fortuita et a natura nobis indicata exacerbatione praecipue tempore appropinquantis menstruationis, et remediis supra dictis per unam quatuorve hebdomades adhibitis naturae aliquamdiu quietem concedamus; quo modo natura via per aptam curationem praescripta vim salubrem suam exercere potest, modo diaeta conveniente et regimine adiuvanda. Propter magnum consensum intestini cum utero omnia calefacientia et spirituosa fugienda et tantum blandi digestuque faciles cibi sumendi sunt. Hic dignum locum tenet recens iure commendata et fausto successu ornata curatio illa lacte et oxygalacte constanter instituta nec minus omnes irritationes directae per coitum, aliaeque locales evitandae sunt potentiae. Graviditas, omnino non exemplo carens in metritide chronica, semper adversa fieri, neque solum ad abortum, sed etiam ad inflammationem puerperalem transire solet. Quies corporis, quam maxime continuus in lecto non ita molli et calido situs horizontalis, tranquillitas animi, quae ad systema sexuale variis modis

spectat, adiumenta gravia habenda sunt. Non modo in acutis, sed etiam chronicis morbis natura sanandi tentamina facit, quae interdum vi critica instructa sunt, eaque cognoscere iisque prudenter uti, hoc medici est.

Processu periodico uteri per physiologiam satis constituto cognitio periodorum criticarum haud difficilis est; sed etiam excepta periodo menstruationis tempus evolutionis et praesertim involutionis appropinquantis ad repetendos et efficaces impetus in morbum medicum invitant. Hac ratione vel decursu morbi inflammatoria natura magis magisque remota, et passiva potius intumescentia uteri relicta, propter permagnam reproductionem corporis muliebris depletiones sanguinis locales aliaque supra relata remedia non plane quidem reiicienda, sed diligenter spectato statu universali modificanda et cum fortibus ac resolventibus medicamentis coniungenda sunt. Nunc methodus resolvens primarium obtinet locum, sed pro consensu systematis vasorum sanguiferorum, systematis nervorum et pro statu virium cum medicamentis et antiphlogisticis et alterantibus leniterque excitantibus iungenda est, quia vitam non solum in universum, sed etiam in organo speciali irritabilitatem quandam obtinere oportet, ut curatio faustum capiat eventum. In usum breviorem, maioribus intervallis nunc etiam mercurialia, praesertim Hydrarg. muriat. mit., in usum longiorem praeparata iodi interne et externe (iodum purum, kali hydroiodicum et in constitutione debilitata ferrum iodatum) et in continuum extracta resolventia et salia neutra, potissimum natrum phosphoricum indicata sunt. Quibus adiungantur tempore veris recenter expressi succi herbarum, qui per hebdomades continuas adhibeantur, nec minus aestate aquae medicatae, quae primis morbi

stadiis augentes reactionem inflammatoriam tam adversae, quam hoc stadio reproductionem ac resolutionem adiuvantes certe salubres existunt. Eligantur illae aquae ad gradum naturamque morbi, et praesertim ad constitutionem ac statum aegrotae generalem. In universum aquae medicatae resolventes, et tantum in infirmitate praevalente, diminuta vitalitate sysmatis sanguinis et nervorum, et in revalescentia aquae aliae indicatae sunt. Maxime valentem ac resolventem exercent vim thermae Carolinae, sed tum modo, cum partim momentum inflammatorium iam plane recesserit eiusque productum solum, sive intumescentia sive hypertrophia uteri, impugnandum sit; partim autem induratio vera aut malignae, scirrhosae et huius modi degenerationes nondum exstent. Aqua medicata Amisiae, quae est mitior et sanguinem una cum nervis sedat, atque omnino tenui mulierum constitutioni, aptior est, permultis in casibus in usum vocari potest, nec negandum est, multas mulieres, illis ex causis steriles, sanatas esse; sed cautela etiam hic requiritur, quare plerumque, antequam ea utamur, venaesectio instituenda vel hirudines applicandae sunt.

Fontes medicati, qui natrum muriaticum continent, in illis morbis uteri adhibeantur, qui non solum e causis localibus exorti sunt, sed etiam scrophulosa nituntur diathesi; ubi vero haemorrhoides causa morbi fuere, vel ubi complicatio cum arthritide adest, aquae sulphuratae laetum effectum exercere solent. Etiam aquae frigidae recentissimo tempore applicatae sunt, nec sine bono eventu, ita ut non dubium sit, feminas, quarum constitutio vehementem curae impetum perferre possit, hac methodo sanari posse, quippe quae totum organismum mutet, cutis functionem augmentet et sanguinem reddat fluidio-

rem. Nonnunquam remedia revellentia saluberrima fuerunt, quum irritabilitatem, quae inflammatione methodo antiphlogistica fracta remanserat, vel diminuerent vel plane expellerent. Quapropter vesicatoria symphysi ossium pubis, femoris parti internae applicantur, quae saepius renovantur, simulac ulcera artificialia sanata sunt. Alii fonticulos in femore locandos laudant.

Medicus hydrometram curaturus in tres res oculos vertat necesse est: in tollendas causas, removendam aquam et impediendas recidivas. Causas morbi oppugnare plerumque non possumus, cum medici auxilium tum demum petatur, postquam aqua copiose accumulata est. Quare respiciamus momentum secundum. Aqua removeri potest via mechanica et dynamica. Mechanica sic conficitur, ut clausum uteri orificium aperiatur, quare, si atresia exstat, punctio lege artis instituenda est; vel si mucus aut sanguinis conglomerationes obstaculum praebent, pistillum vel catheter muliebris introduci debet, quibus obstaculo remoto fluidum accumulatum emanare potest. Paracentesis quoque per anum vel abdominis his in casibus indicata esse potest, qua operatione ter instituta exoptatum effectum Siebold vidisse se contendit. — Dynamica methodo istam hydrometrae aquam expellere nos oportet, quae vel spasmo orificii uteri continuo retinetur, vel in uteri telis aut in saccis quibusdam et volucris accumulata est. Quare illic contra spasmum vaporationes, iniectiones una cum remediis antispasmodicis internis in usum vocandae sunt, hic vero uterus aptis remediis ad contractiones commovendus est, ita ut aqua vel hydatides sua sponte per orificium depellantur; aut porrigimus re-

media, quibus in aliis quoque hydropsiis fluidum resorberi, aut colatoriis consuetis secerni solet.

Medicamina illius generis sunt cinnamomum, castoreum et maxime borax, sabina et secale cornutum. Inter hoc vero nominanda sunt praeter cetera praesertim infus. digitalis purp. cum tartaro depurato ex oxymelle scillitico, vel calom. cum extracto aloes aagr. dimidium ter de die sumendum, quibus inunctiones mercuriales et linimentum volatile aut inunctiones aromaticae addantur. — Ne aqua iterum accumuletur, praecipue ad causas et diathesin morbi advertamus et convalescentiae stadium apta methodo curemus necesse est. Secretiones igitur habituales quam primum in integrum restitui debent; vita sedentaria et commoratio in aëre impuro et humido evitentur, et aegrota sub coelo sereno corporis exercitationes et animi requiem et oblectationes quaerat, praecipue quae curis ac sollicitudinibus vexatur, obstructiones alvi et plethora abdominalis atque irritationes congestivae et inflammatoriae tollendae. Si indurationes adsunt, mercurialia et antimonialia administranda, polypodes vero ante quam primum delendi. Methodo roborante utimur in systemate uterino per longum temporis spatium debilitato, praecipue tonicis amaris, china et marte una cum roborante regimine et iniectionibus ex infusis et decoctis medicaminum adstringentium et roborantium. Non minus laudanda sunt balnea localia et universalia ex aquis tonicis et ferruginosis parata.

Quod attinet ad concrementa lapidea, quae in utero exstant, optime remanent intacta; vel si molestias provocarint perniciosas, eorum vis periculosa, quantum fieri potest, iniectionibus emollientibus compescatur, quippe quorum natura tanto-

pere in tenebris versetur, ut nec contra lithiasin remedia universalia, nec contra concrementum lapideum ipsum iniectione chemicas adhibere possimus. Sin autem lithiasis symptomata perniciosa videntur, operatio instituenda est, quem ad finem, nisi lapis extractione (sicuti polypodum) removendus, vel lithotripsia auctore Colombat tentanda est.

Ad curationem fibroidarum suppurationem vel eliminationem provocare minime probabile est, cum, ubi natura hanc sanandi viam inierat, rarissime bonum exitum habuerimus; quare e contrario omnes res removendae sunt, quae pseudorganisationes excitare possint. Dyscrasiae occultae et apertae, e. g. syphilis, arthritis, scrophulosis, methodo alterante, praecipue iodo externe et interne impenso, oppugnandae sunt. Quando natura ipsa illas pseudorganisationes eliminare studet, medici est, hoc naturae studium adiuvare et ad finem ducere. Solutae et tenuibus pedunculis cohaerentes pseudoproductiones eodem modo, uti polypodes uterini, removendae sunt. Sede tumoris apta et opportuna operatio cruenta et certis conditionibus exstirpatio uteri totalis institui possunt. Quae operationes si perfici nequeunt, aut bonum successum non habuere, curatio symptomatum morbi indicata est. Quo pertinent ordinatio diaetae et regiminis, secretionum et excretionum, energia systematis nervorum adaucta ratione physica et psychica, roboratio corporis; porro ut reactiones organis vicinis inimicae diminuantur et mali progressio, quantum fieri potest, inhibeatur. In polypodibus fibrosis curandis summi momenti est, ut pseudoproductum deleamus. Cauterisatio et detorsio polypodum aptae non sunt, cum ratio illa dubia sit facileque laedat; meliorem eventum habet resectio seu amputatio poly-

podum, antiquissimis illa quidem temporibus exercita, recentioribus ab Osiander et Siebold renovata et emendata.

Ubi autem timendum est, ne sectione haemorrhagia profusa provocetur, ligatura applicanda est, nec minus pedunculo polypodis nimis lato.

Tuberculosis uteri in universum ratione pseudoproductionum benignarum curanda est. Quamobrem complicationes morbi amoveantur, irritationes tuberculorum evitentur, causae occasionales et constitutionales oppugnentur remediis antiscrophulosis, resolventibus et tonicis, ac prostratio virium avertatur; qua curatione sub faustis conditionibus sanatio, vel saltem mitigatio et retardatio adducitur.

Ad curationem cancri uteri tantum operatio vel curatio symptomatum morbi adhibendae sunt. Nondum remedium alterans repertum, quod dyscrasiam carcinomatosam exstinguat. Si remediis mercurialibus, arsenico, cura per inediam etc., reproductionem diminuere atque cancrum luxuriantem finire volumus, hoc modo non solum pseudoproductionem, sed etiam totum organismum debilitamus.

Specifica illa anticarcinomatosa hucusque ne minimum quidem attulerunt fructum, neque cicuta, neque calendula, aut aurum muriaticum maiorem, quam acidum arsenicosum; nobisque remittatur, relatio magnae copiae remediorum laudatorum, quae omnia medicum deserunt. Experientia autem probatur hoc in pessimo malo exstirpatio et partialis et totalis, ac libenter utamur hoc tam difficili quidem quam periculoso remedio, sine quo exitus huius morbi certe letalis est. Si cancer uterum vel partem tantum eius afficit, nec signa dyscrasiae carcinomatosae, vel affectionis vicinorum organorum adsunt, cu-

ratio operativa indicata est, qua successum prosperum sperare possumus, ubi cancer ex collo uteri originem ducit, et pars affecta a non affecta stricte seiungitur. Hoc autem in casu excisio seu resectio colli uteri in usum vocatur. Exstirpatione uteri totali advocata eventus semper valde dubius est, plerumque horis, hebdomadibus, imo mensibus nonnullis interiectis mors intrat, et unum tantum exemplum adhuc notum est, in quo Langenbeck exstirpatione uteri totali aegrotam omnino restituit. Si operationis indicationes non exstant, vel aegrota eam vetat, curatio palliativa instituatur. Contra dolores et agryphiam omnia fere narcotica, prae ceteris opium et morphium sub quaque forma, interne et endermatice, clysmatibus et inunctionibus et iniectionibus laudata sunt. Alvus remediis leniter aperientibus solvenda est. Ad odoris foetidi et secreti putridi et ichorosi meliorem conditionem consequendam, iniectiones aquae oxymuriaticae et calcariae, acidi pyrolignosi, creosoti, inspersiones carbonis praeparati, lotiones cum decocto dauci sativi eiusque cataplasmata ordinanda sunt. Haemorrhagiae profusae quietem, situm horizontalem, usum ratanhae, acidorum, aluminis, imo argenti nitrici fusi et spongiarum vaginae inferendarum expostulant. Vomitus chronicus autem compescitur hyoscyamo, magisterio bismuthi, tinctura cinnamomi, opio, belladonna et pulvere aerophoro. Retentio urinae applicatione catheteris tollitur. Vis reproductionis debilitata et febris hectica maximam animi attentionem requirunt, cum permultum intersit, ut tempore remedia antiphlogistica cum nutrientibus et roborantibus mutentur. Remedia et diaeta reproductionem ac nutritionem augentia, febrem hecticam et colli-

quationes imminuentia, secundum praecepta therapiae generalis pro casu singulari eligenda sunt.

VITA.

Ego, CAROLUS FRIDERICUS HOFMEIER, Martisburgensis, confessioni addictus evangelicae, natus sum die sept. m. Julii a. MDCCCXXII. patre FRIDERICO, matre MARIANA e gente KRETZSCHMAR, quos parentes dilectissimos Deus optimus mihi hucusque vivos et salvos servavit. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Rhodosciae frequentavi et auctumno anni MDCCCXLI. inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum, ubi per annum has scholas frequentavi:

Ill. MUELLER de anatomia universali et speciali et physiologia; Ill. SCHLEMM de osteologia et splanchnologia; Ill. HECKER de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. LINK de botanice, historia naturali et toxologia; Ill. MITSCHERLICH de chemia anorganica et organica; Cel. TURTE de physice; Cel. BENEKE de logice et psychologia.

Auctumno anni MDCCCXLII. almam universitatem Gryphiam petii, ubi per tria semestria hos habui praeceptores:

Ill. SCHULTZE de anatomia et universali et speciali, de anatomia pathologica et de arte cadavera rite secandi; Ill. BERNDT de therapia generali, pathologia et therapia speciali, medicina forensi et arte obstetritia; Ill. SEIFERT de pathologia universali et materia medica; Ill. BAUM de chirurgia,

ophthalmiatrice, aciurgia; Cel. LAURER de arte fascias rite applicandi; Exp. BERNDT de historia medicinae et semiotice.

In clinico medico, chirurgico et ophthalmiatrico Ill. BERNDT et Ill. BAUM ducibus usus sum.

Tempore paschali anni MDCCCXLIV. Halas petii, ubi per semestria duo disserentes audivi:

Ill. KRUKENBERG de pathologia speciali; Ill. BLASIUS de operationibus cruentis et non cruentis, de operationibus ophthalmicis; Ill. VOLKMANN de anatomia comparata. Scholas clinicas frequentavi: medicas Ill. KRUKENBERG, chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. BLASIUS, obstetritias Ill. HÖRN.

Tempore paschali anni MDCCCXLV. repetii Berolinum, ubi, ab Ill. HECKER, t. t. fasces tenente, numero civium academicorum assignatus et ab Ill. WAGNER, t. t. ordinis medici Decano spectatissimo, in album facultatis medicae inscriptus, per semestre exercitationibus medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis interfui Cel. TRUESTEDT et Ill. JUENGKEN.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, maximas quam possum ago gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Exstirpatio uteri non reiicienda est.
2. Laryngotomia in angina membranacea non relinquenda est.
3. Sit brevis aut nullus tibi somnus meridianus.
4. Venus per Mercurium non expellenda est.

75(16)